



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE  
**BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ  
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0401

Lunedì 09.07.2001

**LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL XIV  
CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE BRASILIANO (CAMPINAS, 19-22 LUGLIO 2001)**

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLA CELEBRAZIONE DEL XIV CONGRESSO  
EUCHARISTICO NAZIONALE BRASILIANO (CAMPINAS, 19-22 LUGLIO 2001)

In data 3 maggio 2001, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. José Saraiva Martins, Prefetto della  
Congregazione delle Cause dei Santi, Suo Inviato Speciale alla celebrazione del XIV Congresso Eucaristico  
Nazionale Brasiliano, in programma a Campinas dal 19 al 22 luglio 2001.

L'Em.mo Cardinale sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. José Machado Couto, Protonotario Apostolico, Parroco in Helvetia (Campinas) e Consultore  
della Congregazione per l'Educazione Cattolica;
- Rev.do Mons. Stefano Migliorelli, Cappellano di Sua Santità, Ufficiale della Segreteria di Stato;
- Rev.do Mons. Claudio Jovine, Cappellano di Sua Santità, Ufficiale della Congregazione delle Cause dei Santi;
- Rev.do Sac. Álvaro Augusto Ambiel, Parroco della Cattedrale di Campinas.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Santo Padre Giovanni Paolo II al Suo Inviato Speciale:

Venerabili Fratri Nostro

**IOSEPHO S.R.E. Card. SARAIVA MARTINS**

Congregationis de Causis Sanctorum Praefecto

Campinensis urbs ipsa in Brasilia brevi tempore illustrabitur currente videlicet mense Iulio, quandoquidem XIV ibi  
Eucharisticus Congressus Nationalis celebrabitur, quo clerus et christifideles, in unum congregati atque  
sententia ducti "Eucharistia, fons Missionis et Solidaritatis", in hoc ineffabile mysterium Corporis et Sanguinis

Christi fidem propalam testabuntur. Omnes quidem Iesum "Panem vitae" merito confitemur, quoniam credimus hoc sacramentum divinum veluti "centrum" esse et "culmen" universalis vitae Ecclesiae, immo cor ipsum Ecclesiae, quo Auctor totius nostrae vitae continetur et ex quo spiritalem vigorem omnes haurimus. Ne vero tali ac tantae Eucharistiae celebrationi Noster delegatus quidam specialis desit, optata quidem expletes Archiepiscopi Campinensis, Venerabilis Fratris Gilberti Pereira Lopes, omnium pariter sacrorum Praesulum istius Episcopalis Conferentiae totiusque ecclesialis communitatis, praestantem virum mittere statuimus, qui personam Nostram illic tueatur praesentiamque Nostram significet. Quapropter hisce datis Litteris, te, Venerabilis Frater Noster, cuius iam pridem cognovimus doctrinae integritatem solidamque fidelitatem erga hanc fidei nostrae veritatem, *MISSUM EXTRAORDINARIUM* constituimus et renuntiamus, ut inter dies XIX-XXII proximi mensis Iulii Campinensi in urbe Nostro nomine et auctoritate sollemnibus illis sacris praesideas et congressionibus quae in tanto ecclesiali eventu peragentur.

Per te igitur singulos consalutamus Congressus participes, nominatim sacrorum Antistites et sacerdotes, religiosos ac religiosas, laicos et laicas fideles, quibus omnibus mysterium Eucharisticum proponimus vere universae christianae vitae omnisque familiae culmen, quo "communicatur et alitur illa caritas erga Deum et homines, quae anima est totius apostolatus" (*Lumen gentium*, 33).

Ut autem ex Congressu Eucharistico illo copiosissimi percipiantur fructus unitatis et pacis, Deum plurima prece obtestamur, dum haec cogitata Nostra tecum libenter studioseque communicamus et Apostolicam Benedictionem, cuiusvis boni caelestis pignus, tibi imprimis, Venerabilis Frater Noster, deinde cunctis Congressui adsistentibus libenter impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XX Maii, anno MMI, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

IOANNES PAULUS II

[01180-01.01]

---